TIT. XX.
DE FIDEJUSSORE, ET SPONSORE.

INter fidejuſſores ex edicto prætoris, ſi ſolvendo ſint, licet ſinguli in ſolidum teneantur, obligatio dividitur [1].

TIT. XXI.
DE SEPULCHRIS ET LUGENDIS.

§. 1. OB incurſum fluminis, vel metum [2], corpus jam perpetuæ ſepulturæ traditum, ſolemnibus redditis ſacrificiis, per noctem in alium locum transferri poteſt. §. 2. Corpus in civitatem inferri non licet, ne funeſtentur ſacra civitatis [3]: & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur. §. 3. Qui luget, abſtinere debet a conviviis, ornamentis, & alba veſte [4]. §. 4. Quidquid in funus erogatur, inter æs alienum primo loco [5] deducitur. §. 5. Qui alienum mortuum ſepelierit, ſi in funus ejus aliquid impenderit, recipere id ab herede, vel a patre vel a domino [6] poteſt.

1 Quod in Pandectis ſub *titul. de fidejuſſ.* multis in locis demonſtratur. Traxit hoc quoque poſtea Juſtinianus ad reos conſtitutæ pecuniæ. *l. ult. C. de conſtit. pec.*
2 Vel ob aliam juſtam & neceſſariam cauſam, *l. 1. C. de relig. & ſumpt. fun.* noctu efferri corpora Demetrio placuit, ad ſumptus minuendos. M. Tull. 2. *de leg.*

3 *l. 12. C. de relig. & ſumpt. fun. l. 6. C. Theod. de ſepulchr. viol.* 4 Sed uxoribus hic triſtior habitus quandoque ex SC. remittitur, in *l. 15. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* 5 *l. pen. ff. de relig. & ſumpt. fun.* 6 *l. 14. §. ult. l. 21. l. 32. ff. de rel. & ſumpt. fun.*

JULII PAULI
RECEPTARUM SENTENTIARUM
LIBER SECUNDUS.

TIT. I.
DE REBUS CREDITIS ET JUREJURANDO.

§. 1. IN pecuniariis cauſis ſi alter ex litigatoribus jusjurandum deferat, audiendus eſt. Hoc enim & compendio litium, & æquitatis ratione proviſum eſt. §. 2. Deferre jusjurandum prior actor poteſt: contrarium autem de calumnia [1] jusjurandum reo competit. §. 3. Si reus cum jurare velit, actor illi neceſſitatem jurisjurandi remiſit [2], & hoc liquido appareat, actio in eum non datur. §. 4. Heredi ejus, cum quo contractum eſt, jusjurandum deferri non poteſt: quoniam contractum ignorare poteſt [3]. §. 5. Si qui debitum quocumque modo confeſſus docetur, ex ea re creditori actio non datur, ſed ad ſolutionem [4] compellitur.

TIT. II.
DE PECUNIA CONSTITUTA.

SI id, quod mihi Lucius debet, ſoluturum te conſtituas, teneris actione pecuniæ conſtitutæ [5].

TIT. III.
DE CONTRACTIBUS.

STipulatio eſt verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus reſpondit, velut, *ſpondes, ſpondeo, dabis, dabo, promittis, promitto, fidei tuæ erit, fidei meæ erit* [6]. Et tam pure, quam ſub conditione [7] concipi poteſt.

TIT. IV.
DE COMMODATO, ET DEPOSITO PIGNORE FIDUCIAVE.

§. 1. QUidquid in rem commodatam ob morbum vel aliam rationem impenſum eſt, a domino recipi poteſt [8]. §. 2. Si facto incendio ruina, naufragio, aut quo alio ſimili caſu res commodata amiſſa ſit, non tenebitur eo nomine is, cui commodata eſt: niſi forte cum poſſet rem commodatam ſalvam facere [9], ſuam prætulit. §. 3. Servus vel equus ſi a latronibus, vel in bello, in aliam cauſam commodati [10] occiſi ſunt, actio commodati datur: cuſtodia enim & diligentia rei commodatæ præſtanda eſt. §. 4. Si rem æſtimatam tibi dedero, ut ea diſtracta pretium ad me deferres, eaque perierit, ſiquidem ego te rogavi, meo periculo perit: ſi tu de vendenda promiſiſti, tuo periculo [11] perit.

TIT. V.
DE PIGNORIBUS.

§. 1. CReditor ſi ſimpliciter ſibi pignus depoſitum diſtrahere velit, ter ante denuntiare debitori ſuo debet, ut pignus luat [12], ne a ſe diſtrahatur. §. 2. Fœtus, vel partus ejus rei, quæ pignori data eſt, pignoris jure non tenetur [13], niſi hoc inter contrahentes convenerit. §. 3. Compenſatio debiti ex pari ſpecie, & cauſa diſpari admittitur: velut ſi pecuniam tibi debeam, & tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cetera hujusmodi, licet ex diverſo contractu, compenſare, vel deducere debes. Si totum petas [14], plus petendo cauſa cadis.

TIT. VI.
DE EXERCITORIBUS.

FIliusfamilias ſi voluntate patris navem exerceat, patrem in ſolidum [15] ob ea quæ ſalva receperit, obligat.

TIT. VII.
AD LEGEM RHODIAM [16].

§. 1. SI levandæ navis gratia jactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt [17]. §. 2. Jactu navis levata ſi perierit, extractis aliorum per urinatores mercibus, ejus quoque rationem haberi placuit, qui merces ſalva nave [18] jactavit. §. 3. Nave, vel arbore vi tempeſtatis amiſſa, vectores ad contributionem non tenentur, niſi ipſis arborem ſalutis cauſa eruentibus [19] navis ſalva ſit. §. 4. Levandæ navis gratia merces in ſcapham transjectas, atque ideo amiſſas, intributione earum, quæ in navi ſalvæ ſunt, refici convenit. Nave autem perdita, conſervatæ cum mercibus ſcaphæ ratio [20] non habetur. §. 5. Collatio intributionis [21] ob jactum ſalva nave fieri debet.

TIT. VIII.
DE INSTITORIBUS.

§. 1. SIcut commoda ſentimus ex actu præpoſiti inſtitoris, ita & incommoda ſentire debemus. Et ideo qui ſervum, ſive filium filiamve familias, ſive ancillam præpoſuit negotiis, vel mercibus exercendis, eorum nomine in ſolidum convenitur [22]. §. 2. Si quis pecuniæ fœnerandæ, agro colendo, condendis [23] vendendisque frugibus præpoſitus eſt, ex eo nomine, quod cum illo contractum eſt, in ſolidum fundi dominus obligatur, nec intereſt ſervus, an liber ſit. §. 3. Quod cum diſcipulis eorum, qui officinis, vel tabernis præſunt, contractum eſt, in magiſtros, vel inſtitores [24] tabernæ in ſolidum actio datur.

TIT. IX.
DE IN REM VERSO.

SErvus, vel filiusfamilias, ſi acceptam pecuniam in rem patris, vel domini verterit hoc modo, agrum, puta, colendo, domum fulciendo, mancipia veſtiendo, mercando, vel creditori ſolvendo, vel quid tale faciendo, de in rem verſo in ſolidum dominum vel patrem obligat [25], ſi tamen ob hanc cauſam pecunia data ſit.

TIT. X.
DE SC. MACEDONIANO.

QUi filiofam. contra interdictum ampliſſimi ordinis, pecuniam mutuam crediderit, poſt mortem patris, ex eo, quod vivo patre credidit, cum eo agere [26] non poteſt.

TIT. XI.
AD SC. VELLEJANUM.

§. 1. IN omni genere negotiorum, & obligationum, tam pro viris, quam pro fœminis intercedere [27] mulieres prohibentur. §. 2. Mulier, quæ pro tutoribus filiorum ſuorum indemnitatem promiſit, ad beneficium Senatusconſulti non pertinet [28].

TIT. XII.
DE DEPOSITO.

§. 1. SI ſacculum, vel argentum [29] ſignatum depoſuero, & is, penes quem depoſitum fuit, me invito, contrectaverit: & depoſiti, & furti actio mihi in eum competit. §. 2. In judicio depoſiti ex mora fructus veniunt, & uſuræ rei depoſitæ [30] poſtulantur. §. 3. In cauſa depoſiti compenſationi locus non eſt [31], ſed res ipſa reddenda eſt.

1 *l. 34. §. qui jusjurandum, & l. ſi non fuerit. ff. de jurejur. l. delata. C. de reb. cred. & jurejur.* 2 *l. 6. ff. de jurejur.* 3 Jurare enim ſcientem oportet, ſciente animo ſuo. *l. 34. §. 1. & §. procurator. ff. de jurejur. l. 4. §. 1. ff. de in lit. jur. l. 11. §. 2. ff. rer. amot.* 4 Quæ ob id ipſum confeſſoria actio appellari poterit. *l. 23. §. ult. l. 25. §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. 4. ff. de confeſſ.*

5 *l. 20. ff. de conſtit. pecun.*

6 *l. 5. §. ſtipulatio. ff. de verb. oblig.* 7 Vel in diem, & inter præſentes, nec ſcripturam exigit. *l. 1. C. de uſur.*

8 Aut jure penſationis, aut contrario judicio. *l. 18. §. 2. ff. commod.* 9 *l. 5. §. 4. ff. commod.* 10 *l. 1. §. is vero. ff. de oblig. & act. l. 5. §. 7. ff. commod.* 11 *l. 17. §. 1. ff. de præſcr. verb. l. 1. ff. de æſtim.*

12 *l. 73. ff. de furt. l. 4. ff. de pign. act.* 13 *l. 1. §. cum prædium. ff. de pignor.* Quod verum eſt in fructibus ab alio domino, quam debitore perceptis. Nam fructus, & fœtus, quorum dominium ad ipſum debitorem pervenit, proculdubio pignori tenentur. *l. 13. ff. de pign. l. 3. C. in quib. cauſ. pign. vel hypoth.* Idemque eſt in partu. *l. 29. §. 1. ff. de pign.* 14 *l. 4. ff. de compenſ.*

15 *l. 1. §. 19. & §. 23. ff. de exerc. act. l. 3. §. Si filius. ff. naut. caup.*

16 Non omnes hic leges nauticæ Rhodiorum explicantur, ſed lex tantum ea, quæ eſt de jactu. 17 *l. 4. C. Theod. de naufr. l. 1. ff. ad leg. Rhod. de jactu.* 18 *l. 4. §. ſed ſi navis. ff. de leg. Rhod. de jactu.* 19 *l. 2. §. 1. l. 3. l. 5. ff. de leg. Rhod. de jactu.* 20 *l. 4. ff. de leg. Rhod. de jactu.* 21 Vid. *l. 27. ff. de verb. ſign. l. 6. §. ult. ff. de muner. & honor. l. 22. §. ult. ff. ad munic.*

22 *l. 11. §. 2. & ſeqq. ff. de inſtitor. act.* 23 Pro, *Condendis*, malim legere, *Coëmendis*, ut in *l. 5. §. 1. ff. de inſtit. act.* 24 *l. 1. §. eſt autem. ff. de exerc. act.*

25 Per totum *tit. ff. de in rem verſ.*

26 Ipſo quidem jure eſt actio, ſed opponenda eſt exceptio SC. ne ſequatur condemnatio. *l. 11. ff. ad SC. Macedonianum.*

27 Ita tamen, ut ſi interceſſerint, opus ſit exceptione, duobus caſibus exceptis. Unus eſt in *Novell.* 134. alter in *l. 23. §. ult. C. ad SC. Velleian.* 28 Pugnant, cum hac Pauli ſententia, *l. 6. ad fin. C. ad SC. Velleian. l. 1. & ult. C. ſi mat. ind. prom.* niſi ſic legamus, *Mulier, quæ tutoribus filiorum ſuorum indemnitatem promiſit.* arg. *l. 2. C. ſi mat. indem. prom. d. l. 6.*

29 *l. 29. ff. depoſ.* 30 Quia depoſiti actio bonæ fidei eſt. *l. 1. §. hanc autem l. 29. l. 25. in fin. ff. depoſ. l. 2. C. eod.* 31 *§. in bon. fid. Inſt. de act.* id ante Juſtinianum obtinuiſſe hic locus indicat.

TIT.

TIT. XIII.
DE LEGE COMMISSORIA [1].

§. 1. DEbitor diſtractis fiduciis a creditore, de ſuperfluo adverſus eum habet actionem [2]. §. 2. Quicquid creditor per fiduciarium ſervum quæſivit, ſortem debiti minuit [3].

§. 3. Debitor creditori fiduciam [4] vendere non poteſt, ſed aliis, ſi velit, vendere poteſt, ita ut ex pretio ejusdem pecuniam offerat creditori, atque ita remancipatam ſibi rem emptori præſtet. §. 4. Si per ſuppoſitam perſonam creditor pignus ſuum invito debitore comparaverit, emptio non videtur, & ideo quandoque lui poteſt [5]. Ex hoc enim cauſa pignoris, vel fiduciæ finiri non poteſt. §. 5. Si inter creditorem & debitorem convenerit, ut fiduciam ſibi vendere non liceat, non ſolvente debitore, creditor denunciare ei ſolemniter [6] poteſt, & diſtrahere. Nec enim ex tali conventione fiduciæ actio naſci poteſt.

§. 6. Si creditor rem fiduciæ datam uni ex heredibus, vel extraneo legaverit, adverſus omnes heredes [7] actio fiduciæ competit. §. 7. Si creditor rem fiduciariam fecerit meliorem, ob ea recuperanda, quæ impendit, judicio fiduciæ [8] debitorem habebit obnoxium. §. 8. Noviſſimus creditor priorem oblata pecunia, quo poſſeſſio in eum transferatur, dimittere poteſt. Sed & prior creditor ſecundum creditorem, ſi voluerit, dimittere non prohibetur, quamquam ipſe in pignore potior [9] ſit. §. 9. Servus ſi mutuam pecuniam ſervitutis tempore acceperit, ex ea obligatione poſt manumiſſionem conveniri [10] non poteſt.

TIT. XIV.
DE USURIS.

§. 1. SI pactum nudum de præſtandis uſuris interpoſitum ſit, nullius eſt momenti [11]. Ex nudo enim pacto inter cives Romanos actio non naſcitur [12]. §. 2. Uſuræ ſupra centeſimam ſolutæ ſortem minuunt [13], & conſumpta ſorte repeti poſſunt.

§. 3. Trajectitia pecunia, propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas uſuras [14] recipere poteſt. §. 4. Uſuræ, quæ centeſimam excedunt, per errorem ſolutæ repeti [15] poſſunt.

§. 5. Si quis pignora debitoris citra auctoritatem judicantis abduxerit, violentiæ crimen [16] admittit. §. 6. Tutor in uſuras non convenitur, ſi pecuniam pupillarem ideo non collocavit, quod idonea nomina non habeat, quibus pecunia collocaretur: cujus rei conteſtatio apud Præſidem [17] provinciæ deponenda eſt.

TIT. XV.
DE MANDATIS.

§. 1. OB ſubitam valetudinem, ob neceſſariam peregrinationem, ob inimicitiam, & inanes rei actiones [18], integra adhuc cauſa, mandati negotio renunciari poteſt. §. 2. Si meis nummis mandato tuo aliquid tibi comparavero, & ſi rem poſtea accipere nolis, mandati actio mihi adverſus te competit. Non enim tantum quod impenſum eſt, ſed & uſuras [19] ejus conſequi poſſum.

§. 3. Certo pretio rem juſſus diſtrahere, ſi minoris vendiderit, mandati judicio pretii ſummam poterit integrare: venditionem diſſolvi non placuit [20].

TIT. XVI.
PRO SOCIO.

SIcut lucrum, ita & damnum [21] inter ſocios communicatur, niſi quid culpa ſocii, vel fraude everſum ſit.

TIT. XVII.
EX EMPTO ET VENDITO.

§. 1. VEnditor, ſi ejus rei, quam vendidit, dominus non ſit, pretio accepto, auctoritate [22] manebit obnoxius. Aliter enim non poteſt obligari. §. 2. Si res ſimpliciter traditæ evincantur, tanto venditor emptori condemnandus eſt, quanto [23] ſi ſtipulatione pro evictione caviſſet. §. 3. Res empta mancipatione & traditione perfecta, ſi evincatur, auctoritatis venditor duplotenus obligatur. §. 4. Diſtracto fundo, ſi quis de modo mentiatur, in duplo [24] ejus, quod mentitus eſt, officio judicis æſtimatione facta convenitur. §. 5. Redhibitio vitioſi mancipii intra ſex menſes [25] fieri poteſt, propter latens vitium. §. 6. Si ut ſervum quis pluris venderet, de artificio ejus, vel peculio mentitus eſt, actione ex empto conventus quanto minoris [26] valuiſſet, emptori præſtare compellitur, niſi paratus ſit eum redhibere [27]. §. 7. Ex die emptionis, ſi pars pretii numerata ſit, & fructus, & operæ ſervorum, & fœtus pecorum, & ancillarum partus ad emptorem [28] pertinet.

§. 8. Fundum alienum mihi vendidiſti, poſtea idem ex cauſa lucrativa meus factus eſt, competet mihi adverſus te ad pretium recuperandum [29] actio ex empto. §. 9. Poſt rem traditam, niſi emptor pretium ſtatim exolvat, uſuras [30] ejus præſtare cogendus eſt.

§. 10. Mutus emere & vendere poteſt, furioſus autem neque emere [31], neque vendere poteſt. §. 11. Servus bona fide [32] comparatus, ſi ex veteri vitio [33] fugerit, non tantum pretium dominus, ſed & ea, quæ per fugam abſtulit, reddere cogetur. §. 12. Cum probatio prioris fugæ deficit [34], ſervi reſponſioni credendum eſt [35]. In ſe enim interrogari non pro domino, aut in dominum videtur [36]. §. 13. In eo contractu, qui ex bona fide deſcendit, inſtrumentorum oblatio ſine cauſa deſideratur [37], ſi quo modo veritas de fide contractus poſſit oſtendi. §. 14. Fundus ejus eſſe videtur, cujus nomine comparatus eſt, non a quo pecunia numerata eſt [38]: ſi tamen fundus comparatori ſit traditus. §. 15. Electo reo principali, fidejuſſor, vel heres ejus liberatur. Non idem in mandatoribus [39] obſervatur.

TIT. XVIII.
DE LOCATO ET CONDUCTO.

§. 1. HOmo liber, qui ſtatum ſuum in poteſtate habet, & pejorare eum, & meliorem facere poteſt, atque ideo operas ſuas diurnas nocturnasque locat [40]. §. 2. Fundi deterioris facti, & cultura non exercitati, & ædificiorum non refectorum culpa, arbitrio judicis [41] domino a conductore ſarciri poteſt.

TIT. XIX.
DE NUPTIIS.

§. 1. SPonſalia tam inter puberes, quam inter impuberes [42] contrahi poſſunt. §. 2. Eorum, qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus [43] matrimonia jure non contrahuntur: ſed contracta non ſolvuntur [44]: Contemplatio enim publicæ utilitatis [45] privatorum commodis præfertur. §. 3. Inter ſervos & liberos matrimonium contrahi non poteſt, contubernium [46] poteſt.

§. 4. Neque furioſus, neque furioſa matrimonium contrahere poſſunt, ſed contractum matrimonium furore non tollitur [47].

§. 5. Vir abſens uxorem ducere poteſt, fœmina abſens [48] nubere non poteſt. §. 6. Libertum, qui nuptias patronæ, vel uxoris, filiæve patroni affectaverit, pro dignitate perſonæ [49] metalli pœna, vel operis publici coërceri placuit.

TIT. XX.
DE CONCUBINIS.

EO tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non poteſt [50]. Concubina igitur ab uxore ſolo delicto [51] ſeparatur.

TIT. XXI.
DE DOTIBUS.

§. 1. DOs [52] aut antecedit, aut ſequitur matrimonium: & ideo vel ante nuptias, vel poſt nuptias dari poteſt. Sed ante nuptias data earum expectat adventum. §. 2. Lege Julia de adulteriis [53] cavetur, ne dotale prædium maritus invita uxore alienet.

TIT. XXII.
DE PACTIS INTER VIRUM ET UXOREM.

§. 1. FRuctus fundi dotalis conſtante matrimonio percepti, lucro mariti cedunt, etiam pro rata anni [54] ejus, quo factum eſt divortium. §. 2. Omnibus pactis ſtipulatio ſubjici [55] debet, ut ex ſtipulatu actio naſci poſſit.

TIT. XXIII.
DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM.

§. 1. MOrtis cauſa donatio eſt, quæ impendente metu mortis [56] fit, ut valetudinis, peregrinationis, navigationis, vel belli. §. 2. Manumiſſionis gratia [57] inter virum & uxorem donatio favore libertatis recepta eſt, vel certe quod nemo ex hoc fiat locupletior: ideoque ſervum manumittendi cauſa invicem ſibi donare non prohibentur. §. 3. Inter virum & uxorem nec per interpoſitam perſonam [58] donatio fieri poteſt. §. 4. Inter virum & uxorem contemplatione donationis imaginaria venditio [59] contrahi non poteſt. §. 5. Si inter virum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto, cui donatum eſt, ad eum res redit [60], qui donaverat. §. 6. Quocunque tempore contemplatione mortis inter virum & uxorem donatio facta eſt, morte ſecuta convaleſcit [61].

TIT. XXIV.
DE LIBERIS AGNOSCENDIS.

§. 1. SI ſerva conceperit, & poſtea manumiſſa [62] pepererit, liberum parit. §. 2. Si libera conceperit, & ancilla facta pepererit, liberum parit. Id enim favor libertatis expoſcit. §. 3. Si ancilla conceperit, & medio tempore manumiſſa ſit, rur-

1 De fiducia, qua pignus creditori mancipatur, aut creditur, ea lege, ut ſoluta ad diem pecunia remancipetur, non ſoluta, creditori pleno jure committatur, nihil in Pandectis relatum eſt a Juſtiniano, quoniam ſublatæ erant fiduciæ conſtitutione Conſtantini. *l. ultim. C. de pact. pign.* 2 Ut ſi minoris pignus vendiderit, reſidui petitio creditori ſupereſt. *l. 28. ff. de reb. cred.* ita ſi pluris vendiderit, ſuperflui petitio debitori datur. *l. 24. §. 2. ff. de pign. act.* 3 *l. 1. C. de pign. act.* 4 Pignus creditor vendere poteſt. *l. 12. ff. de diſtr. pign.* fiduciam non poteſt. 5 *l. 10. C. de diſtr. pign.* Ex diverſo, non videtur debitor pignus diſtraxiſſe permiſſu creditoris, ſi id poſſideat. *l. 8. §. 7. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſol.* 6 Denunciatione trina. *l. 4. ff. de pign. act.* 7 *l. 10. C. de pign. actione.* 8 Duplex eſt actio fiduciæ, directa, & contraria. Idem in pigneratitia. *l. 8. l. 25. ff. de pign. act. l. 7. C. eod.* 9 *l. 1. l. 5. C. qui pot. in pignor. hab. l. 22. C. de pign. l. 11. §. ultim. ff. qui pot. in pign. hab.* 10 *l. 4. ff. de obl. & act. l. 2. C. an ſerv. ex ſuo facto poſt man. ten.*

11 *l. 3. C. de uſuris. l. 24. ff. de præſcr. verb.* 12 *l. 27. C. de locat.* 13 Si ſortem expleverint, repetentur quaſi indebitæ. *l. 26. §. 1. ff. de cond. indeb.* 14 Hodie eſt centeſima. *l. 4. ff. de naut. fœn.* ſed id Tribonianum ex Juſtiniani conſtitutione addidiſſe puto. 15 *l. 26. ff. de cond. ind.* 16 *l. ultim. ff. ad leg. Jul. de vi priv. l. 5. C. eod.* 17 *l. 7. §. ultim. & l. 13. §. 1. l. 15. ff. de adm. & peric. tut. l. 3. C. de uſur. pup.*

18 *l. 24. ff. mand. §. 11. Inſt. de mand.* 19 *l. 12. §. 9. ff. mand.* 20 *l. 5. §. 1. & §. 4. ff. mand.*

21 *l. 52. §. 4. ff. pro ſoc.*

22 *l. 13. §. 8. ff. de act. empt.* 23 *l. 11. §. Caſſius. 14. ff. de act. empt. l. 31. §. 20. ff. de ædil. edict.* 24 In libris Juſtiniani non invenitur ſcriptum, niſi ſimpliciter ex empto actionem eſſe. *l. 2. ff. de act. empt.* 25 *l. 19. §. ultim. l. 55. ff. de ædil. edict.* 26 *l. 13. §. 4. ff. de act. empt.* 27 *l. 43. §. 6. ff. de ædil. edict.* 28 *l. 13. l. pen. C. de act. empt. l. 13. §. 10. & §. 18. ff. eod.* Sed Paul. hic exigit, ut ſaltem pretii pars numerata ſit: & tunc puto non niſi pro ea parte fructus ad emptorem pertinere, argum. *l. ultim. §. ultim. ff. de fund. dot.* 29 Sed neque committitur ſtipulatio duplæ. *l. 13. §. 15. ff. de act. empt. l. 41. §. 1. ff. de evict.* 30 *l. 13. §. 19. ff. de act. empt. l. 5. l. 13. C. eod.* 31 *l. 1. ff. locat. l. 1. §. ultim. ff. de contrah. empt.* 32 Idem Paulus reſpondit ſervum, veluti pro noxa, retineri. *l. 58. in princ. & §. 1. ff. de ædil. edict.* 33 Ex recenti venditor non tenetur. *l. 54. ff. de ædil. edict. l. 3. C. eod.* 34 Emptor probare debet ſervum ex veteri vitio fugiſſe. *l. 4. ff. de prob.* 35 *l. 58. §. ultim. ff. de ædil. edict. l. 7. ff. de probat.* 36 *l. 6. C. de quæſt.* 37 *l. 10. C. de fid. inſtrum.* niſi ita convenerit. *l. 2. in fin. ff. de contrah. empt.* 38 *l. 1. C. ſi quis alteri, vel ſibi ſub alt. nom.* 39 Hodie neuter liberatur. Nam hæc inter fidejuſſorem & mandatorem differentia a Juſtiniano ſublata eſt *l. ultim. C. de fidejuſſ. Novell.* 4.

40 *l. 3. ff. de uſufr. leg.* Poteſt & filii operas pater locare, ut J. *lib. 5. tit. 1.*
41 *l. 25. §. 3. ff. locat.*
42 *l. 14. ff. de ſponſal.* 43 *§. 1. Inſt. de nupt.* 44 Quod *libro 3. Obſerv. cap. 5.* ut accipiendum ſit, oſtendimus. *Cujac.* 45 Id eſt, nuptiarum, ut in *l. in bello. §. medio. ff. de capt. & poſtlim.* 46 *l. 3. C. de inceſt. nupt.* 47 *l. 16. §. ult. ff. de ritu nupt.* 48 Domus viri, eſt domicilium matrimonii. *l. 5. ff. de ritu nupt. l. 6. C. de donat. ante nupt. l. 4. §. 1. ff. de uſu & hab.* 49 *l. 3. C. de nupt. l. 66. ff. de ritu nupt.*

50 *l. 1. C. de concubin. l. ultim. in fin. ff. de divort.* 51 Puto legendum, *ſolo delectu*, ut ſit idem, quod ſola deſtinatione animi, in *l. penult. ff. de concub.*

52 Sub hoc titulo Paulum etiam tractaſſe de retentionibus, quæ ex dote fiunt Anianus ſcribit in *l. 2. C. Th. de dotibus.* 53 Cur hæc de adulteriis inſcribatur, expoſuimus in Notis ad *§. 2. Inſtitut. tit. quibus alien. lic. vel non.*

54 *l. 78. §. divortio. ff. de jur. dot. l. 7. §. Papinianus. l. 11. l. 31. §. ult. ff. ſol. matr. l. 1. §. ſed & noviſſimi. C. de rei uxor. actione.* 55 Cujus rei exempla in Pandectis ſunt infinita.

56 *§. 1. Inſt. de donat.* 57 *l. 7. §. ultim. ff. de donat. inter virum & uxorem.* 58 *l. 3. §. non tantum autem. ff. de don. int. virum & uxor.* 59 Cum ſit facta in fraudem juris. *l. 5. §. 5. ff. de donat. inter vir. & uxorem.* 60 *l. 8. ff. de reb. dubiis.* Non enim mors donatarii, ſed mors donatoris hanc donationem confirmat. *l. 32. §. 14. ff. de donat. inter vir. & uxorem.* Excipienda eſt ſpecies *l. 5. §. 11. ff. eod.* 61 *l. 11. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 40. ff. de donat. mort. cauſ.*

62 *l. 5. §. 2. ff. de ſtat. hom.*

ſus facta ancilla pepererit, liberum parit. Media enim tempora [1] libertati prodeſſe, non nocere etiam poſſunt. §. 4. Ex ea muliere natus, quæ ex cauſa fideicommiſſi manumitti debuit, ſi poſt moram libertati factam naſcatur, ingenuus [2] naſcitur. §. 5. Si mulier divortio facto gravidam ſe ſciat, intra triceſimum diem viro denuntiare debet, vel patri ejus, ut ad ventrem inſpiciendum, obſervandumque cuſtodes mittant: quibus miſſis [3], partum mulieris omnimodo coguntur agnoſcere. §. 6. Si prægnantem ſe eſſe mulier non denuntiaverit, vel cuſtodes ventris miſſos non admiſerit, liberum eſt patri vel avo natum non alere. Ceterum negligentia matris, quominus ſuus patri heres [4] ſit, obeſſe non debet. §. 7. Si mulier ſe ex viro prægnantem negat, permittitur marito ventrem inſpicere [5], & ventri cuſtodes dare. §. 8. Venter inſpicitur per quinque obſtetrices, & quod maxima pars earum denuntiaverit, pro vero [6] habetur. §. 9. Obſtetricem, quæ partum alienum attulit, ut ſupponi poſſit, ſummo ſupplicio [7] affici placuit.

TIT. XXV.
QUEMADMODUM FILII SUI JURIS EFFICIUNTUR.

§. 1. Pater ab hoſtibus captus deſinit habere filios in poteſtate: poſtliminio vero reverſus, tam filios, quam omnia [8] ſui juris in poteſtatem recipit, ac ſi nunquam ab hoſtibus captus ſit. §. 2. Singulæ emancipationes [9] vel iiſdem, vel aliis teſtibus fieri poſſunt, vel eodem die, vel intermiſſo tempore. §. 3. Emancipatio etiam die feriato [10] fieri poteſt. §. 4. Apud magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem [11], emancipari, & manumitti poteſt. §. 5. Filiusfamilias emancipari invitus [12] non cogitur.

TIT. XXVI.
DE ADULTERIIS.

§. 1. Inventam in adulterio uxorem, maritus ita demum occidere [13] poteſt, ſi adulterium domi ſuæ [14] deprehendat. §. 2. Eum, qui in adulterio deprehenſam uxorem non ſtatim dimiſerit, reum lenocinii [15] poſtulari placuit. §. 3. In cauſa adulterii dilatio [16] poſtulata impartiri [17] non poteſt.

TIT. XXVII.
DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM.

§. 1. Inimicitiæ capitales, quas quis cum patre pupillorum habuit, a tutelis excuſant [18], ne paterno inimico pupilli committantur. §. 2. Ad curam ejus, cujus quis tutelam adminiſtravit, invitus [19] vocari non poteſt.

TIT. XXVIII.
DE POTIORIBUS NOMINANDIS.

§. 1. Non recte potiorem videtur nominare, qui cauſam nominati potioris [20] non expreſſerit. §. 2. Potior quis eſſe debet, non ſolum gradu generis, ſed & ſubſtantia rei familiaris.

TIT. XXIX.
QUI POTIOR NOMINARI NON POSSIT.

Libertus, quem pater tutorem dedit, ſi minus idoneus dicatur, excuſari quidem non poteſt [21], ſed adjungi illi curator poteſt.

TIT. XXX.
DE ORATIONE [22] DIVI SEVERI.

Dolo tutoris curatoriſve detecto, in duplum [23] ejus pecuniæ condemnatione conveniuntur, qua minorem fraudare voluerunt.

TIT. XXXI.
DE FURTIS.

§. 1. Fur eſt, qui dolo rem alienam contrectat. §. 2. Furtorum genera ſunt quatuor: manifeſti, nec manifeſti, concepti, & oblati [24]. Manifeſtus fur eſt, qui in faciendo deprehenſus eſt, & qui intra terminos ejus loci unde quid ſuſtulerat deprehenſus eſt, vel antequam ad eum locum quo deſtinaverat, perveniret. Nec manifeſtus [25] fur eſt, qui in faciendo quidem deprehenſus non eſt, ſed eum furtum feciſſe negari non poteſt.

§. 3. Concepti actione is tenetur, apud quem furtum quæſitum, & inventum eſt: Oblati [26] actione is tenetur, qui rem furtivam alii obtulit, ne apud ſe inveniretur. §. 4. Furti actione is agere poteſt, cujus intereſt [27] rem non perdidiſſe. §. 5. Concepti is agere poteſt, qui rem concepit, & invenit. Oblati is agere poteſt, penes quem res concepta [28], & inventa eſt. §. 6. Manifeſti furti actio, & nec manifeſti, & concepti, & oblati heredi quidem competit, ſed in heredem [29] non datur. §. 7. Servus, qui furtum fecerit, damnumve dederit, niſi id pro ſui quantitate dominus [30] ſarcire ſit paratus, noxæ dedi poteſt. §. 8. Si ſervus furtum fecerit, deinde manumiſſus fuerit, aut alienatus, cum ipſo manumiſſo, vel emptore agi poteſt. Noxa enim caput [31] ſequitur. §. 9. Filiusfamilias ſi furtum fecerit, deinde emancipetur, furti actio in eum datur [32], quia in omnibus noxa caput ſequitur. §. 10. Non tantum qui furtum fecerit, ſed etiam is, cujus ope, aut conſilio furtum factum fuerit, furti actione tenetur. §. 11. Qui meretricem [33] libidinis cauſa rapuit, & celavit, eum quoque furti actione teneri placuit. §. 12. Furti manifeſti actio, præter pœnam quadrupli, ipſius rei perſecutionem, genere vindicationis, & condictionis [34] continet. §. 13. Furti oblati actio adverſus eum, qui obtulit, tripli eſt pœna [35], & ipſius rei repetitio. §. 14. Furti quocunque genere condemnatus, famoſus [36] efficitur. §. 15. Quæcunque in caupona, vel meritorio ſtabulo, diverſoriove perierint, in exercitores [37] eorum furti actio competit.

§. 16. Rem pignori datam debitor creditori ſubtrahendo furtum facit, quam ſi & ipſe ſimiliter amiſerit, ſuo nomine [38] perſequi poteſt.

§. 17. Pater, vel dominus de ea re, quæ filiofamilias, vel ſervo ſubrepta eſt, furti agere poteſt. Intereſt [39] enim ei deferri actionem, qui de peculio convenitur. §. 18. Si rem, quam tibi commodavi, poſtea ſubripui, furti actio competere tibi non poterit. Rei enim noſtræ [40] furtum facere non poſſumus. §. 19. Si cum furtum quis quærit, damnum injuria dederit, actione legis Aquiliæ [41] tenebitur.

§. 20. Ob indicium comprehendendi furis præmium promiſſum jure debetur [42]. §. 21. Sive ſegetes per furtum, ſive quælibet arbores cæſæ [43] ſint, in duplum [44] ejus rei nomine reus convenitur.

§. 22. Qui tabulas [45], cautioneſve ſubripuit, in adſcriptam ſummam furti actione tenebitur: Nec refert cancellatæ, necne ſint: quia ex his debitum diſſolutum eſſe comprobari poteſt. §. 23. Servus, qui in fuga eſt, a domino quidem poſſidetur, ſed dominus furti actione ejus nomine non tenetur, quia in poteſtate [46] eum non habet.

TIT. XXXII.
DE OPERIS LIBERTORUM.

Egentem patronum libertus obligatione doni, muneris, operarum, ſolutus, alere [47] cogendus eſt, pro modo facultatum [48] ſuarum.

1 *l. 5. ad fin. ff. de ſtat. hom.* 2 *l. 1. §. quæri. ff. de ſuis & legit. hered. l. 53. ff. de fideicomm. libert. l. 3. C. eod.* 3 Sed hoc pugnat cum *l. 1. §. 11. ff. de agn. & al. lib.* niſi dicas interim eos cogi omnimodo partum alere, cæterum eis adhuc in integro eſſe, partum editum ex ſe negare. 4 *l. 1. §. 6. & §. 13. ff. de agn. & al. lib.* 5 *l. 1. ff. de inſp. vent. cuſtodiendoque part.* 6 *l. 1. §. 10. ff. de inſpiciend. vent.* 7 *l. 2. ff. de Carb. edict.*

8 *§. 5. Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſol.* 9 Hanc ſententiam ad ſolum filium referimus: nam in cæteris una emancipatio ſufficit, ut in fragm. Ulpiani oſtendit *tit.* 23. 10 *l. 8. C. de feriis.* 11 *l. 4. ff. de adopt. l. ult. C. de vind. lib.* 12 *Nov.* 89.

13 Gellius *lib.* 10. Caſſiodorus *lib.* 3. *Var.* punitur tamen aliquo modo. *l. 1. §. ult. ff. ad l. Corn. de ſic. l. 38. §. 5. ff. ad l. Jul. de adult. coërc.* 14 *l. 24. ff. ad l. Jul. de adult. coërc.* 15 *l. 2. C. ad l. Jul. de adult.* 16 *l. 41. ff. ad l. Jul. de adult. coërc.* 17 Puto non, *impartiri*, vel, ut alii codices habent, *impediri*, ſed *impetrari*, eſſe legendum, ut in *l. 11. §. 9. ff. ad l. Jul. de adult. coërc.*

18 *§. 11. Inſt. de excuſ. tutor.* 19 Niſi libertus ſit. *l. 5. l. 20. C. de excuſ. tut.*

20 *l. 1. C. de pot. ad mun. nom. l. 46. C. de decur. l. 7. ff. eod. tit. l. 2. ff. de fidejuſſ. & nomin. tut.*

21 *l. 5. C. de excuſ. tut.*

22 Subjecta ſententia indicat legendum eſſe *De rationibus diſtrahendis*: quæ actio in duplum lege XII. tab. prodita eſt. 23 *l. 55. ff. de admin. tut. l. 1. §. rationibus. ff. de tut. & rat. diſt.*

24 Concepti, & oblati, actionum ſpecies potius ſunt furto cohærentes, quam furtorum genera. *§. 3. Inſt. de obl. quæ ex del. naſc.* 25 *l. 8. ff. de furt.* ejuſdem rei & manifeſtus, & nec manifeſtus. *l. 21. ff. eod.* 26 Qui obtulit, ne apud ſe conciperetur. *§. 4. Inſt. de obl. quæ ex del. naſc.* 27 Si ex honeſta cauſa intereſt. *l. 10. l. 85. ff. de furtis.* 28 *§. 4. Inſt. de obl. quæ ex delict. naſc.* 29 Quia pœnales ſunt. *§. non autem. Inſt. de perp. & temp. act.* 30 *titul. Inſt. de nox. act.* 31 *§. omnis. Inſt. de nox. act. l. 14. ff. de obl. & act.* 32 *l. 7. & l. 8. ff. de nox. act. §. ult. Inſt. eod. tit.* 33 Puto legendum eſſe, *Qui non meretricem*, ut in *l. 82. §. 2. ff. de furt.* quæ eſt ex hoc libro. 34 *§. ult. Inſt. de obl. quæ ex del. naſc.* 35 Gellius *lib.* 11. *cap. 18. l. 3. ff. qui ſatisdar. cog.* 36 Quocunque genere, ſuo nomine damnatus, famoſus eſt. *l. 6. ff. de his, qui not. infam.* 37 Eorum quorum opera exercent. Vectorum tamen, viatorumve factum non præſtant. *l. 1. ff. furt. adv. naut. caup. ſtab.* 38 Hoc caſu fur furti agit. *l. 12. §. pen. ff. de furt.* 39 *l. 52. §. 9. ff. de furtis.* 40 Quæ ratio falſa eſt, in debitore pignus ſubtrahente. *l. 15. §. 1. l. 59. ff. de furtis.* 41 *l. 29. §. 7. ff. ad l. Aquil.* 42 Ideoque repeti non poteſt. *l. 4. §. ult. ff. de cond. ob turp. cauſ. l. 43. §. ſolent. ff. de furt.* & indicia, recte petuntur. *l. 15. ff. de præſcript. verb.* 43 *l. 1. l. pen. ff. arb. furt. cæſ.* Plin. *lib. 17. cap. 1. & lib. 18. cap. 3.* 44 *l. 7. §. ult. l. 8. ff. arb. furt. cæſ.* 45 *l. 82. §. ultim. ff. de furtis. l. 27. ff. de furtis.* 46 *l. 17. §. ult. ff. de furt. l. 21. §. 3. ff. de nox. act.* pugnat *l. 27. §. 3. ff. ad l. Aquil.* niſi hanc diſtinctionem admittimus. Aut ſervus fugitivus ab alio poſſidetur, aut non: Si ab alio non poſſidetur, dominus noxali actione non tenetur, quia exhibendi ejus poteſtatem non habet. Quod ſi ab alio poſſidetur bona fide, dominus noxali actione tenetur, quia repetendi ſervi poteſtatem habet.

47 *l. 41. ff. de oper. libert.* 48 *l. 5. §. 18. ff. de agn. & al. lib.*

JULII PAULI
RECEPTARUM SENTENTIARUM
LIBER TERTIUS.

TIT. I.
DE CARBONIANO EDICTO.

Si fratri puberi [1] controverſia fiat, an pro parte impuberis differri cauſa debeat, variatum eſt. Sed magis eſt, ut differri non debeat.

TIT. II.
DE BONIS LIBERTI.

§. 1. In bonis liberti prior eſt patronus, quam filius alterius patroni. Itemque prior eſt filius patroni [2], quam nepos alterius patroni. §. 2. Libertus duos patronos [3] heredes inſtituit, alter eorum vivo liberto moritur, is qui supereſt, contra tabulas teſtamenti, bonorum poſſeſſionem recte poſtulat.

§. 3. Libertorum hereditas in capita, non in ſtirpes dividitur [4]: & ideo ſi unius patroni duo ſint liberi, alterius quatuor, ſinguli viriles, id eſt, æquales portiones habebunt. §. 4. Patronus [5], vel pa-

1 Legendum eſt, *Si fratri impuberi controverſia fiat, an pro parte puberis &c.* argum. *l. 2. §. puberi. ff. de Carb. edict.*

2 Quia proximus quiſque ad hereditatem liberti vocatur. *l. 23. §. pen. ff. de bon. lib. l. pen. ff. de adſig. liber. l. 4. ff. de oper. libert.* neque locus eſt edicto novo. *l. 2. §. ult. l. 5. §§. ult. ff. de bon. lib.* 3 In quibuſdam, *duos patronos habere inſtituit*, malim *duos patronos habuit, alter eorum vivo liberto moritur.* vid. *l. communi. ff. de bon. libert.* quæ uti diſpungenda ſit, oſtendi *lib. 1. Obſerv. cap. 14.* 4 *l. 23. §. ult. ff. de bon. lib.* 5 Credo ſub hoc titulo etiam poſitam fuiſſe ſententiam *l. 20. ff. de jur. patron. & l. 49. ff. de bon. libert.*

troni

troni liberi ex parte dimidia heredes inſtituti, æs alienum liberti pro portionibus exolvere cogantur.

TIT. III.
DE LEGE [1] FABIANA.

Ea quæ in fraudem patroni a liberto quoquomodo alienata ſunt, Fabiana [2] formula tam ab ipſo patrono, quam a liberis ejus revocantur.

TIT. IV.
DE TESTAMENTIS.

§. 1. Teſtamentum facere poſſunt [3] maſculi poſt completum XIV. annum, fœminæ poſt duodecimum. §. 2. Spadones eo tempore teſtamentum facere poſſunt, quo plerique pubeſcunt, id eſt, anno decimo octavo [4]. §. 3. Filiusfamilias, qui militavit, de caſtrenſi peculio tam communi, quam proprio jure teſtamentum facere poteſt. Caſtrenſe autem peculium eſt, quod in caſtris adquiritur [5], vel quod proficiſcenti ad militiam datur. §. 4. Cæcus teſtamentum facere poteſt [6], quia accire poteſt adhibitos teſtes, & audire [7] ſibi teſtimonium perhibentes. §. 5. Furioſus tempore intermiſſi furoris [8] teſtamentum facere poteſt. §. 6. Mulieri, quæ luxurioſe vivit, bonis interdici [9] poteſt. §. 7. Moribus [10] per prætorem bonis interdicitur, hoc modo: *Quando tua bona paterna avitaque* [11] *nequitia tua diſperdis, liberoſque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re* [12], *commercioque interdico.* §. 8. Qui ab hoſtibus captus eſt, teſtamentum quaſi ſervus facere non poteſt. Sane valet teſtamentum id, quod ante captivitatem factum eſt, ſi revertatur, jure poſtliminii: aut ſi ibidem decedat, beneficio legis Corneliæ [13]; qua lege etiam legitimæ tutelæ [14], hereditateſque firmantur.

§. 9. In inſulam relegatus, & in opus publicum ad tempus damnatus, quia retinet civitatem, teſtamentum facere poteſt [15], & ex teſtamento capere. §. 10. Plures, quam ſeptem ad teſtamentum adhibiti non nocent [16]. Superflua enim facta prodeſſe, juri tamen nocere non poſſunt. §. 11. In adverſa [17] corporis valetudine mente captus, eo tempore teſtamentum facere non poteſt. §. 12. Prodigus recepta vitæ ſanitate, ad bonos mores reverſus [18], & teſtamentum facere, & ad teſtamenti ſollemnia adhiberi poteſt. §. 13. Ex his, qui ad teſtamentum adhibentur, ſi qui ſint, qui Latine neſciant, vel non intelligant, ſed tamen ſentiant [19], cui rei ſint adhibiti, non vitiant teſtamentum. §. 14. Conditionum duo ſunt genera: aut enim poſſibilis eſt, aut impoſſibilis. Poſſibilis eſt, quæ per rerum naturam admitti poteſt: impoſſibilis, quæ non poteſt [20]. Quarum altera ex eventu exſpectatur, altera ſubmovetur. §. 15. Conditiones contra leges [21] & decreta principum, vel bonos mores, adſcriptæ nullius momenti ſunt, veluti, *Si uxorem non duxeris, Si Filios non ſuſceperis, Si homicidium feceris, Si barbaro habitu proceſſeris*, & his ſimilia.

§. 16. Quotiens non apparet [22], quis ſit heres inſtitutus, inſtitutio non valet. Quod evenit, ſi teſtator plures amicos unius nominis habeat.

§. 17. Heredes aut inſtituti, aut ſubſtituti dicuntur [23]. Inſtituuntur primo gradu: Subſtituuntur ſecundo, vel tertio ſcripti. §. 18. Subſtituere quis pure & ſub conditione [24] poteſt, & tam ſuis, quam extraneis, tam puberibus, quam impuberibus. §. 19. In quot vult uncias [25] teſtator hereditatem ſuam dividere poteſt. Impleto aſſe [26], ſine parte heredes inſtituti ad prioris aſſis ſemiſſem æquis portionibus veniunt.

§. 20. Servus alienus cum libertate heres inſtitutus, inſtitutionem non infirmat, ſed libertas, ut alieno [27], ſupervacue data videtur.

§. 21. Filio & extraneo [28] æquis partibus heredibus inſtitutis, ſi præterita adcreſcat, tantum ſuo avocabit, quantum extraneo. Si vero duo ſint filii inſtituti, ſuis tertiam extraneis dimidiam tollit.

§. 22. Talis eſt poſthumorum inſtitutio, *Si qui poſt mortem meam poſthumi nati fuerint, heredes mihi eſtote*: ſi vivo eo [29] naſcantur, rumpunt teſtamentum. §. 23. Nepos poſthumus [30], qui in locum patris ſuccedere poteſt, ab avo aut heres inſtituendus eſt, aut nominatim exheredandus, ne agnaſcendo rumpat teſtamentum. §. 24. Qui ſemel conſtituit ad ſe hereditatem pertinere, aut ſe rebus ejus immiſcuit, repudiare [31] eam non poteſt, etiamſi damnoſa ſit.

TIT. V.
DE S. C. SILANIANO.

§. 1. Hereditas ejus, qui a familia occiſus eſſe dicitur, ante habitam quæſtionem [32] adiri non poteſt, neque bonorum poſſeſſio poſtulari. §. 2. Occiſus videtur non tantum qui per vim, aut per cædem interfectus eſt, velut jugulatus, aut præcipitatus, ſed & is, qui veneno necatus [33] dicitur: Honeſtati enim heredis convenit, qualemcumque mortem teſtatoris inultam non prætermittere. §. 3. Domino occiſo, de ea familia quæſtio habenda eſt, quæ intra tectum fuerit, vel certe extra tectum cum domino [34] eo tempore, quo occidebatur. §. 4. Qui occiſus dicitur, ſi conſtet eum ſibi quoquomodo manus intuliſſe, de familia ejus quæſtio non eſt habenda [35], niſi forte prohibere potuit, nec prohibuit. §. 5. Neroniano Senatusconſulto cavetur, ut occiſa uxore, etiam de familia viri quæſtio habeatur: idemque ut juxta uxoris familiam obſervetur, ſi vir [36] dicatur occiſus. §. 6. Servi, qui ſub eodem tecto fuerunt, ubi dominus perhibetur occiſus, & torquentur, & puniuntur, & ſi teſtamento occiſi manumiſſi ſint. Sed & hi torquentur, qui cum occiſo in itinere [37] fuerunt. §. 7. Servi de proximo ſi cum poſſent ferre, auditis clamoribus auxilium domino non tulerunt [38], puniuntur. §. 8. Servos, qui in itinere circundatum a latronibus dominum per fugam deſeruerunt, apprehenſos & torqueri, & ſummo ſupplicio [39] affici placuit.

§. 9. Habetur de familia quæſtio, & ſi heres teſtatorem occidiſſe dicatur: nec intereſt, an extraneus [40], an ex liberis ſit.

§. 10. Omnibus, qui contra voluntatem defuncti faciunt, ut indignis aufertur hereditas [41], ſi nihil teſtamento in fraudem legis fuerit cautum. §. 11. Sive falſum, ſive ruptum, ſive irritum dicatur eſſe teſtamentum, ſalva eorum diſceptatione [42], ſcriptus heres jure in poſſeſſionem mitti deſiderat. §. 12. Si inter heredem inſtitutum, & ſubſtitutum controverſia ſit, magis placuit eum in poſſeſſionem rerum hereditariarum mitti, qui primo loco [43] ſcriptus eſt. §. 13. Scriptus heres, ut ſtatim in poſſeſſionem mittatur, jure deſiderat. Hoc poſt annum [44] impetrare non poterit. §. 14. In eo teſtamento heres ſcriptus, quod nec ut oportuit, oblatum, nec publice recitatum eſt, in poſſeſſionem mitti fruſtra [45] deſiderat. §. 15. In poſſeſſionem earum rerum, quas mortis tempore teſtator non poſſedit, heres ſcriptus priuſquam jure ordinario experiatur, improbe [46] mitti deſiderat.

TIT. VI.
DE LEGATIS.

§. 1. Per præceptionem uni ex heredibus nummi legati, qui domi non erant, officio judicis familiæ erciſcundæ [47] a coheredibus præſtabuntur. §. 2. Ante heredis inſtitutionem [48] legari non poteſt: inter medias heredum inſtitutiones, ſive alter, ſive uterque adeat, poteſt. §. 3. Interdum dimidium, interdum totum debetur [49] legatariis. Dimidium, ſi per vindicationem legatum ſit, totum ſi per damnationem. §. 4. Communi ſervo cum libertate, & ſine libertate legari poteſt, totumque legatum [50] ſocio teſtatoris adquiritur. §. 5. Poſt mortem heredis legari non poteſt [51], quia nihi ab herede heredis relinqui poteſt.

§. 6. In mortis tempus [52] tam ſua, quam heredis ejus [53] legata confirmari poſſunt, hoc modo: *Lucio Titio cum morietur, do lego, aut, heres meus dare damnas* [54] *eſto.* §. 7. Per vindicationem legatum, etſi nondum conſtituerit legatarius ad ſe pertinere, atque ita poſt apertas tabulas [55] ante aditam hereditatem deceſſerit, ad heredem ſuum tranſmittit. §. 8. Si res obligata creditori, cujus cauſam teſtator non ignorat, per damnationem legata ſit, luitio [56] ad heredis ſollicitudinem ſpectat. §. 9. Servo fataliter interempto, legatarii damnum eſt [57]: quia legatum nulla culpa heredis intercidit.

§. 10. Damnari heres poteſt, ut alicui domum extruat, aut ære alieno eum liberet [58]. §. 11. Sinendi modo [59] tam corporales res, quam quæ in jure conſiſtunt legari poſſunt: & ideo debitori id, quod debet recte legatur. §. 12. Ejus rei, quæ legata eſt, exemplo heredis partem agnoſcere, partem repudiare [60] legatarius non poteſt.

§. 13. Legatum niſi rei certæ ſit [61], & ad certam perſonam deferatur, nullius eſt momenti. §. 14. Si quis ſibi & Titio legatum adſcripſerit, magis eſt, ut totum [62] legatum ad conjunctum pertineat.

§. 15. Qui ſe filio teſtatoris impuberi tutorem adſcripſit [63], ut ſuſpectus a tutela removendus eſt, ad quam ultro videtur affectaſſe.

§. 16. Rem legatam teſtator ſi poſtea pignori, vel fiduciæ dederit, ex eo voluntatem mutaſſe [64] non videtur. §. 17. Uſusfructus uniuſcujuſque rei [65] legari poteſt, & aut ipſo jure [66] conſtituetur, aut per heredem præſtabitur. Ex cauſa quidem damnationis per heredem præſtabitur, ipſo autem jure per vindicationem. §. 18. Furioſi, & ægrotantis [67], & infantis uſusfructus utiliter relinquitur. Horum enim alius reſipiſcere, alius convaleſcere, alius creſcere poteſt. §. 19. Ancillæ uſufructu

1 Lex pro edicto ſumitur, ut in *l. 1. §. 2. ff. unde cogn.* 2 *leg. 1. §. pen. ff. ſi quid in fraud. patr. factum ſit.*

3 *l. 5. ff. qui teſt. fac. poſſ.* Quod remiſſum olim fuit pupillis, tribunis militum. *l. ult. C. de teſt. mil.* 4 *§. minorem. Inſt. de adopt. l. 6. ff. de lib. & poſt.* Sed hodie conſtitutum eſt, ut eunuchi exemplo cæterorum teſtamentum facere poſſint. *l. 5. C. qui teſtam. fac. poſſ.* 5 Occaſione militiæ. *l. 4. l. 11. ff. de caſtr. pecul. l. 4. C. famil. erciſcundæ.* 6 *l. 21. §. pen. ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. 8. C. eod.* 7 *Vos, Quirites, teſtimonium perhibetote.* Ulpian. in fragm. *tit.* 20. 8 *§. furioſi. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſtam. l. 9. C. qui teſtam. fac. poſſ.* 9 *l. 15. ff. de cur. fur.* 10 Cœpit a moribus primum, deinde tranſlata eſt in 12. tabul. *l. 1. ff. de cur. fur.* M. Tull. *in Catone majore.* Ut quemadmodum, inquit, noſtro more male rem gerentibus patriis bonis interdici ſolet.

11 Antea legebatur, *habitaque*, pro *avitaque.* 12 In quibuſdam. Alii habent, *ab ea re tibi.* 13 *§. ult. Inſt. quib. non eſt perm. fac. teſt. l. 9. C. de poſtlim. & redempt. ab hoſt.* 14 *l. 22. in princip. ff. de capt. & poſtlim. l. 1. §. 1. ff. de ſuis & legit. hered.* 15 *l. 8. §. 3. ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. 7. §. ſive. ff. de interd. & releg. l. 28. §. 1. ff. de pœn.* 16 *l. 21. §. 1. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* 17 *l. 17. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* 18 Prodigus nec teſtamentum facere, nec teſtis ad teſtamentum adhiberi poteſt. *l. 18. ff. qui teſt. fac. poſſ.* niſi moribus receptis. *l. 1. ff. de cur. fur.* 19 In fragm. Ulpiani, *titul. 25. l. 20. §. ultim. ff. qui teſtam. fac. poſſunt.* 20 *§. impoſſibilis. Inſt. de hered. inſtitut. §. ſi impoſſibilis. Inſt. de inut. ſtipul.* 21 *l. 9. l. 15. ff. de cond. inſtit.* 22 *l. 62. §. 1. ff. de her. inſtit.* 23 *l. 1. l. 43. §. 2. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* 24 Pure ſic, *Si primus heres non erit, ſecundus heres eſto: Si Filius meus heres erit, & intra pubertatem deceſſerit, Sejus heres eſto.* Sub conditione hoc modo, *Si primus heres non erit, ſecundus, ſi navis ex Aſia venerit, heres eſto: Si Titius mihi heres erit, idem Filio meo impuberi heres eſto.* *l. 8. l. ult. §. 1. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* 25 *l. 13. §. 1. ff. de her. inſt.* 26 Secus ſi expleto aſſe ita ſcripſerit, *Ex reliqua parte illi heredes ſunto.* *l. 17. §. pen. ff. de her. inſt.* 27 *l. 49. ff. de her. inſtit.* 28 Ulpian. *in fragm.* 22. Theophil. *in §. 1. Inſt. de exhered. lib.* hoc jus eſt a Juſtiniano ſublatum. 29 Poſthumus, qui inſtitutus eſt ex jure antiquo, non videtur inſtitutus ex lege Velleja: & contra *l. 10. l. 29. §. 8. ff. de liber. & poſth. l. 26. ff. de vulg. & pupill. ſubſtitut.* Sed hoc puto Juſtinianum emendare in *l. ultim. C. de poſth. her. inſt.* 30 *l. 29. ff. de lib. & poſth.* 31 Niſi beneficio ætatis per reſtitutionem in integrum. *§. extraneis. Inſt. de hered. qual. & diff. l. 4. C. de rep. vel abſtin. her.*

32 Suppliciumque ſumptum. *l. 3. §. non tantum. l. 5. in princ. ff. de SC. Silaniano.*

33 Qui veneno interemptus eſt, non pertinet ad SC. Silanianum, etiamſi quidam ex ſervis venenum præbuerit. *l. 1. §. occiſorum. ff. de SC. Silan.* ſed mors vindicatur ab herede. *l. 2. C. de his, quib. ut indig.* 34 *l. 1. §. cum dominus. ff. de SC. Silan. & §. 6. ſententia.* 35 Puniendi tamen ſunt ſervi, qui cum prohibere poſſent, non prohibuerunt. *l. 1. §. ſi ſibi manus. ff. de SC. Silan.* 36 *l. 1. §. ſi vir. ff. de Senatusconſulto Silan.* 37 *l. 3. §. de his. ff. de SC. Silan.* 38 *l. 1. §. eod. ff. de SC. Silan.* 39 *l. 1. §. cum dominus. ff. de SC. Silan.* 40 *l. 6. §. 1. ff. de SC. Silan.* 41 Hoc olim obtinuiſſe verum eſt. *l. ult. §. ult. C. de fideic.* Excipitur cauſa ſepulturæ ab *l. 5. C. de his, quib. ut indig. l. 5. C. de relig. & ſumpt. fun.* Idemque porrectum ad omnes alias cauſas Juſtiniani temporibus, argumento eſt *l. 33. C. de inoff. teſtam.* At ex *Novell.* 1. expellitur quidem heres ab hereditate, non tamen quaſi indignus. 42 *l. ult. C. de codicill. l. 2. C. de edict. Divi Adr. toll. l. 6. C. quorum appell. non rec.* ſed ex Conſtitutione Juſtiniani in poſſeſſionem miſſio fit. *l. 3. C. de edict. Divi Adr. toll.* 43 *l. 1. C. de edict. D. Adr. toll.* 44 Quod & in ſua Conſtitutione Juſtinianus indicat, illis verbis, *Sive enim poſt annale tempus.* 45 *l. 3. C. de edict. D. Adriani toll.* 46 Quod & ex Conſtitutione Juſtiniani locum obtinet.

47 *l. 25. §. ult. & l. prox. ff. famil. erciſc.* 48 *§. ante heredis. Inſt. de legat.* 49 Hoc eſt, quod Ulpianus in fragm. tradit *tit.* 24. 50 Si cum libertate, totus jure adcreſcendi ad ſocium pertinebit, *§. ultim. Inſt. de donat.* ſi prætermiſſa libertate, communis erit ſervus inter heredem & ſocium teſtatoris: hereditas autem, vel legatum ſoli ſocio adquiretur, *l. 63. §. 9. ff. pro ſoc. l. 49. ff. ad leg. Falc. l. 11. ff. de opt. leg.* 51 Quia ille, qui heres relinquitur, quem ſit heredem habiturus, incertum eſt. *l. 70. ff. de verb. ſignif.* At hæc Juſtinianus emendavit. *§. poſt mortem. Inſt. de legat.* 52 Legendum reor, *in tempus mortis tam ſuæ, quam heredis ejus legata conferri poſſunt.* exemplo *l. 79. ff. de cond. & dem.* 53 *Ejus*, id eſt, teſtatoris. 54 Legebatur, *damnes*, pro *damnas*: quem errorem *Alciatus* ſecutus eſt *lib.* III. παρέργων. Latini ſemper dixere *damnas*, etiam in multitudinis numero. *l. 34. §. 1. ff. de legat. 3. l. 122. §. 1. ff. de legat. 1.* 55 Hodie defertur ex die mortis, ut in conſtitutione *de caduc. tollend.* 56 *§. Sed etſi rem, Inſt. de legat. l. 85. ff. de legat. 2.* 57 Si heredis facto, heredis. *§. ſi res legata. Inſt. de legat.* 58 *§. Sed & tale legatum. Inſt. de leg.* 59 Hæc verba ſuſpecta mihi, lemque generaliter proponi, ut in *§. tam autem. Inſt. de legat.* 60 *l. 1. ff. de adquirend. vel omitt. hered. l. 38. ff. de legat. 1.* 61 Ut incertæ perſonæ. *§. incertis. Inſt. de legat.* ita res incerta. *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. l. 10. §. 1. ff. de an. leg.* 62 Videnda eſt *l. 14. §. 1. ff. ad legem Corneliam de falſ.* 63 *l. 18. §. 1. ff. ad leg. Corn. de falſ.* 64 *l. 3. C. de legat. §. ſi rem ſuam. Inſtit. eod. tit.* 65 *l. 69. ff. ad legem Falcid.* 66 Id eſt, ſine heredis facto. Alibi traditur ipſum uſumfructum aut ipſo jure conſtitui, id eſt, civili jure: aut tuitione Prætoris. *l. 1. ff. quib. mod. uſusfr. amitt. l. 9. §. 1. ff. uſufr. quem. cav.* 67 Dubitari poteſt, quia interim nullus eſt. *l. 55. l. 12. §. 3. ff. de uſufruct.* Verum incipiet, ſi furioſus reſipuerit, æger convaluerit, infans creverit.